DE GLORIOSISSIMA CHRISTI DOMINI ASCENSIONE ORATIO HABITA PRID. ID. MAII 1744. IN SACELLO...

Carlo Livizzani, Valenti Gonzaga



BEATISSIME PATER.



D argumentum gaudeo me nactum esse, BEATISSIME PATER, *quod licet nullo sententiarum, verborumque splendore tibi offerat exornatum oratio haec mea; dignitatis tamen, quam summa cum laude sustines, amplitudini consentaneum prorsus existimo, probandumque judicio tuo & gravissimo, & maximo. Agitur enim de celeberrimo Christi Domini triumpho, qui in Caelum ascendens humanitatem hanc nostram in altissimo lucis fastigio collocavit, & se pro no-*

bis omnibus Advocatum apud Patrem *constituit: quae sane cogitatio gratissima fidelibus esse debet, Tibi vero in primis Supremo Ecclesiae moderatori, quae Victoris Domini patrocinio confirmata procellas inter ac turbines nullum sibi detrimentum, nullam Religioni perniciem veretur. Quare quum caeteri ad hanc Sedem majestatis, ac sapientiae tuae lumine circumfusam accedere minime audeant, nisi perfectum aliquod absolutumque se afferre posse confidant, me tamen ob causae ipsius, quam agendam suscepi, praestantiam & jucunditatem admirabilem, neque ingenii tenuitas, neque perexigua sane doctrinae exercitatio ab hoc aditu laudis amplissimo probibuerunt. Huc etiam accedit singularis in Patruum meum beneficentia Tua, quae dum oculis obversatur meis, fidentiori me animo esse jubet, & in spem venire certissimam fore, ut, qualecumque sit, hoc observantiae monumentum, meque ipsum humanitate, qua vales plurimum, ac benevolentia, complectaris.*

ORA-

ORATIO.



Icimus hodierna die, magnificeque vicimus, quum Dei Filius ad Patrem rediens non tam ſibi, quam nobis omnibus triumphavit. Nam ſi vicit, qui, quod contendit, obtinuit, laetari nunc ſane debet, ac triumphare oratio noſtra, quum ea divinitus adepti ſimus, quibus poſſunt ne voto quidem meliora concipi. An id minus confidere audeamus, quia Redemptor, ac Parens optimus, quo ſe mens noſtra recreabat ac ſolabatur uno, longe a nobis receſſit, nec jam licet in ejus vultu, atque oculis acquieſcere? At hujus triumphi pompam ſi ſatis grato animo interpretemur, non haec abſentia, ſed judicanda praeſentia eſt, & certe maxime ſalutaris. Quem enim praeſentem oculis deſideramus, praeſentem numine, vique arcana propitium experimur, dum nobis ipſis & ſui poſſidendi cupiditatem ingerit ſane maximam, & certiſſimam obtinendi fiduciam impertitur.

Illud mihi non semel venit in mentem quaerere, cur hac quotannis celebritate sibi Ecclesia cum Apostolo gratuletur, ad beatam immortalitatis sedem impleturum pro nobis omnia Christum Dominum ascendisse. (*Ephes.* 4.) Nonne Crucis trophaeum aperte praedicat, salutem, ac redemptionem nostram cumulatissime consummatam, quum inter mortuis quidem, minime tamen obscuris vocibus hoc testatum reliquerit Homo Deus? (*Jo:* 19.) Nonne idem quoque vel multo illustrius ipsius Resurrectio confirmavit, qua peccati stipendia deleta sunt, & absorpta mors in victoria? (*Rom.* 6. 1. *Corinthios* 15.) Hoc qui audeat inficiari, profecto arbitror esse neminem, nisi idem perditus omnino sit. At enimvero quamquam nihil eorum ex omni parte non absolutum fuerit, quae gerenda susceperat divinus Amor; tamen, si humanae imbecillitatis ratio habeatur, nonnulla, quae complerentur, adhuc esse reliqua videbantur. Discipuli quidem, ut Augustinus ait, Jesu Christi aspectibus adjuvabantur, confirmabantur operibus, & virtutibus pascebantur; (*Serm.* 85. *de Temp.*) sed tot tantisque argumentis mirifice eruditi nondum adhuc didicerant & vera bona unice cupere, & studio, quo decet, maximo adamare Pasto-

ſtorem, Praeceptoremque ſuum, a quo ſunt ideo vel inſcitiae in precibus aliquando, vel in votis audaciae inſimulati. Vix autem illis videntibus ipſe ad Patrem aſcendit, deſiderium ſui admirabile in eorum animis excitavit, qui propterea omni de principatu contentione depoſita, caeleſtia duntaxat quaerere tum coeperunt, ac terrena deſpicere, eos nimirum ſcopulos feliciter declinare, ad quos paucorum eſt non appellere, & appulſos non adhaereſcere. Poſt illam quippe inuſitatam inauditamque triumphi ſpeciem, quo ſeſe Apoſtolorum vota, cogitationeſque verterunt omnes? quae ipſorum oratio eſſe coepit? quis ardor animi? quid cupiebant? quid optabant? Hic nimirum communis omnium erat animus, oratio haec una in ore omnium: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Quam quidem vocem quoties mecum ipſe tacitus repeto, toties videre videor Coetum illum magnanimum ſuperſtitionis ultorem incredibilia pro veritate facere, & pati aſperrima paratiſſimum, nunc in turpiſſimos gentium ritus, ſacra, ceremonias, & nefarium deorum gregem, erroreſque teterrimos decertantem, nunc divino dicendi genere cum pravitate, cum

Matth. 20.

Philip. 1.

furore, cum ſcelere colluctantem, nunc adverſum minas, & ſupplicia quaeque atrociſſima ſe componentem, nunc ipſos etiam in ſatellites & carnifices inſultantem, atque illa mirum in modum patientem omnia, quae ſunt iis fortiter ſubeunda, qui ſceleribus hac conditione bellum indixerint, ut numquam quieſcere, deſiſtere numquam velint, niſi exploſo mendacio, ſanatiſque mentibus vera ibi Religio ſedem habeat, ubi habuerat ſuperſtitio principatum. Undenam, obſecro, in Apoſtolis mutatio haec tanta,
Pſal. 76. quae vere mutatio fuit dexterae Excelſi?
Act. 5. quid modo gaudentes properant a conſpectu concilii, cujus antea pertimeſcebant vel nomen ipſum?
Galat. 6. quid unice nunc gloriari ſe in Cruce praedicant, quam modo divino Sanguine conſecratam incredibiliter perhorreſcebant? quid uno verbo, qui tam antea timidi, nunc tam magnanimi? quia videlicet poſt hunc triumphum nihil in votis habebant aliud, quam ut cumprimum, cujus aeternum lumen in terris viderant, illius regnum in aeternitate conſequerentur, &
Luc. 24. veluti eumdem pati oportuiſſe non ignorabant, ut intraret in gloriam ſuam, ita & ipſi Praeceptoris exemplum aemulaturi, mortem

tem non ſolum cupiebant, ſed etiam ſtudioſiſſime invitabant. Illa ſcilicet divina lux, qua circumfuſus in caelum aſcendit Dominus, illa, illa Apoſtolorum egregio in pectore flamma fuit & generoſa, & efficax, & immortalis? Quidni ita exiſtimaverim? Quorum oculos ad breve tempus in monte Thabor Divinitatis majeſtas in ſui ſpectaculum admirationemque rapuerat, ii ſtatim tria ut illic tabernacula conſtituerentur ſtudiis omnibus optaverunt: & dubitabimus, quin iidem noctes dieſque cuperent illius in amplexibus beatiſſime conquieſcere, quem hodie aſpexerant in caelum ferri longe lateque immortalitatis inſignibus coruſcantem? Imo vero tum coeperunt ardenter cupere, tum expetere vehementer caeleſte regnum in perpetuae virtutis firmitate conſiſtens. Qui tot miraculis confirmati, tot ſermonibus eruditi, Redemptoris tamen mortem expaverant, & veritatem Reſurrectionis non ſine haeſitatione ſuſceperant, tantum de Aſcenſionis gloria profecerunt, ut quicquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium, propterea quod eorum mentes ſolo futurae cum Chriſto Jeſu felicitatis deſiderio tenebantur. Ita profecto eſt. Quae Apoſtolos tum coepit, quæ-

Matth. 17.

S. Leo Serm. 1. *de Aſcenſ.*

quaeque adhuc in nobis ipsis, ac universa in Ecclesia viget, ac vigebit in posterum, aeternitatis cupiditas, accepta potissimum referri debet divinae huic celebritati, quae fuit ex omnibus una maxime triumphalis.

Neque vero quis putet hanc desiderii vim, qua divinitus inflammamur, inanem esse: ejusmodi enim haec cupiditas est, quae Spem habet comitem, & eam quidem certissimam maximeque constantem. Quemadmodum ex quo primus Adam ab altissimo dignitatis gradu nos secum una praecipitavit, terram illam beatam, unde ipse exulare coactus fuerat, cupere non audebamus, nedum sperare: ita quum humanitatem hanc nostram immortalitate donatam secum ad caelum rapuit secundus Adam, non solum alte spectare jussit cupiditates nostras, verum etiam fidenti erectoque nos animo esse voluit, & in expectationem venire minime incertam sempiternae felicitatis. Spem porro hanc maximam qui cognoscere plane velit, sic cum Apostolis, ac nobiscum accipiat Christum Dominum colloquentem. Expedit, inquit ipse, expedit vobis, ut ego vadam, perinde ac si dicat, me modo nobili pro-

provincia functum, debellatisque hostibus justo, ac pleno triumpho caelum ingredientem videbitis, sed civitatis illius valvas tot jam saeculis interclusas vobis omnibus aperientem. Decora haec victoriae pulcherrima, immortalitatis hic splendor meae non tam debitus mihi est, quam vobis utilis, ac necessarius, quippe qui cum mortis fructus & laborum meorum, tum communis auspicium felicitatis est, cui par nihil dici, nihil exprimi mortalium potest significatione verborum: Omnis mihi in caelo est, & in terra potestas tradita, ideo vires hic vobis ad pugnam suppetam, sedem disponam illic & locum certum in regno meo, hic strenue pro me certantibus adero, parabo illic palmas perpetuo duraturas, quemque hic ingenitum, infinitum, perpetuum, unicum praedicabitis, probabo me vobis illic misericordem, largum, beneficum, liberalem. Timorem ergo, si quem habetis, deponite, bono estote animo: vado, & venio ad vos. Ejusmodi si Redemptoris oratio spem nostrûm omnium immortalitatis plenam non esse jubet, profecto ignoro, undenam illustriora fiduciae argumenta repetere quisquam possit. Quo enim spectant amantissima haec ejus

Matth. 28.

Luc. 22.

Ibid.

Sap. 3.

Joan.20. ejus verba, sese ad Patrem suum, & Patrem nostrum ascendere? quum ait, multas *Joan.14.* in domo Patris sui stationes esse, quid aliud nobis, nisi spem sui possidendi certissimam significavit? Haec igitur illa dies, quae verae ac solidae tranquillitatis est nuncia, salutaris haec illa lux, quae summa nobis omnia pollicetur, ac defert. Age vero in hanc fidem apertissime, siquis umquam, nos erigit Regius Vates praeclare inquiens, dedu- *Psal. 60.* xisti me, Domine, quia factus es spes mea. Neque planè id sine causa. Secum enim, ut *Serm. de Ascens.* egregie Chrysostomus in hunc locum, secum, inquam, per omnem vitae suae statum deduxit Reparator noster, ac Parens Deus. Mortalis hujus in caecitate corporis majesta- *Colosf. 2.* tem abscondit suam? vita tum quoque nostra in Deo est abscondita cum Christo Jesu: raptus ad mortem fuit, oblatusque pro nobis victima? commori secum nos etiam voluit & interitum suum nobiscum esse communem: vulneribus in gloriam commutatis ad vitam rediit immortalem? nos quoque omnes ad felicissimam vitae diuturnitatem a mortuis excitavit: triumphali nunc demum lumine circumfusus Civitatem illam perfecti decoris ingressus est? Clementiam in-

pri-

primis suam magnificentissimè declaravit, & nos secum jussit in caelestibus consedere. Superfundentibus itaque se in vultus gaudiis illud iterum usurpemus, deduxit nos secum Dominus, & semper egregie omnino feliciterque, sed hoc potissimum die, quem unum ducimus nostris omnibus quamlibet inusitatis, atque innumerabilibus gratulationibus jure anteponendum. Caetera enim beneficia divinitus in nos collata, summa illa quidem & immortalia, omnium tamen quidam veluti cumulus hodiernum fuit, quo nihil ad gloriam magnificentius, nihil olim praeclarius cujusquam mens aut cogitatio capere potuit. Ascendit in caelum ante hunc diem Elias, sed ejus splendor habuit admirationis plurimum, jucunditatis fortasse parum. Sibi enim felix, sibi uni beatus extitit, neque nobis, quo ipse ascenderat, iter eodem valuit aperire. Triumphantis quidem personam induit, conditionem tamen servuli non amisit. Eam iccirco spectatoribus laudem optare licuit, non sperare. At vero quum Christi Ascensio memoratur, ejus divina lux undequaque in majestate amabilis aeque multum nobis admirationis affert, atque jucunditatis. Etenim personam ipse

Ephes. 2.

4. Reg. 2.

quum

quum triumphantis induit, Regis quoque potentiam adeptus eſt, & regio in dominatu nec parens eſſe deſiit, nec primogenitus in multis fratribus. Pulchrum eſt imperio parere Principis, cujus & ſumma poteſtas ſit, & gratificandi voluntas optima: longe pulchrius Fratrem in regno cernere, qui ſuis prodeſſe omnibus velit, obeſſe nemini: pulcherrimum denique profecto eſt, a quo magna ſperare unice debeas, Parentem in Caelo habere, cujus nomen quid voluptatis quid ſuavitatis habeat, ac bonae ſpei dici non poteſt. Qui infinita Angelorum concinentium multitudine Rex Regum maximus ſalutatur, cujus in manu felicitas noſtra eſt, & ſecuritas, qui nunc proprio in regno reſidens Victor dona largitur, & ſuorum virtutes remuneratur, is non Princeps modo, ſed unus ex nobis eſt, & Parens omnium amantiſſimus, cui vel antequam e Caelo delaberetur, deliciae fuerant eſſe cum filiis hominum: num quis jam audeat dubitare, quin ſuae nos velit felicitatis eſſe participes, perfruendaſque nobis divinas tradere voluptates? Ejuſmodi vero hinc faceſſere dubitationem Jubet Auguſtinus inquiens: factus eſt Chriſtus ſpes noſtra: in illo vides laborem & mercedem no-

Rom. 8.

S. Max. Serm. de Pont. 2.

Prov. 8.

noſtram; in Paſſione laborem, in Aſcenſione mercedem. O ſumme igitur, o maxime rerum parens, ac moderator tu dignus unice, tu dignus es, cui ſpirans omnis intelligenſque natura, ac genus in primis noſtrum & agere numquam deſinat gratias, & habere. Nemo eſt enim, qui non fateatur, triumpho hoc tuo ſalutem contineri ſuam, & ex unius tuâ immortalitatem pendere omnium. Tuum eſt, ſi vera bona, quae ſola ſunt hoc nomine nuncupanda, & ſperamus & cupimus, tuum eſt. Per te & ſecuri vitam, qua tute frueris, expectamus, & beati futurae felicitatis contemplatione jam vivimus. Quare immortali huic beneficio tuo aeternum grati animi monumentum promittimus, & quum te Apoſtoli ad gloriam aſcendentem, *S. Max. idid.* quem inceſſu pedum non poterant, oculis, & ſpiritu proſequuti ſint, eorum exemplo moniti id nos quoque praeſtamus intelligentes, ingens ad grandia compendium eſſe audere grandia imitari.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarsen. Vicesger.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.